HUGONIS GROTII
DE JURE BELLI AC PACIS
LIBER SECUNDUS,
CAPUT XIX.
De jure sepulturæ.

I. *Ex eodem jure gentium nasci jus humandi mortuos.*
II. *Unde ortum?*
III. *Deberi & hostibus.*
IV. *An & insigniter facinorosis?*
V. *An & his, qui se interfecerint?*
VI. *Quæ alia ex jure gentium debeantur.*

I. 1. EX jure gentium, (aa) quod ex voluntate ortum habet, debetur & corporum mortuorum sepultura. Dion [a] Chrysostomus inter mores, sive ἔθη, quæ τοῖς ἐγγράφοις, id est, *scripto juri*, opponit, post legatorum jura commemorat μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, *non prohibere quominus sepeliantur mortui.* Et [b] Seneca pater inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora ponit 1 humum porrigere cadaveri. Naturæ id jus appellant Hebræi Philo ac [c] Josephus; & φύσεως θεσμοὺς, Isidorus [d] Pelusiota: ut solere sub naturæ nomine comprehendi mores communes naturali rationi consentaneos alibi diximus. Apud Ælianum est: [e] τὸν φύσεως τὸν κοινῆς ἀπαιτούσης τὸν μηκέτι ζῶντα κατακρύψαι· *cum mortuum condi ipsa imperet communis natura.* Idem alibi: [f] τὰ κοινὰ καὶ ἴσα πᾶσιν ἀνθρώποις vocat γῆν καὶ ταφὴν, *terram ac sepulturam hominibus cunctis communia & ex æquo debita.* [a] Leges hominum, ὑόμους βροτῶν dixit Euripides [a] Sup-

[a] Περὶ ἔθους. Orat. 76. pag. 649. C.
[b] *Libro* I. *contr.* 1.
[c] *Jud. Bell.* Lib. IV. Cap. 6. §. 3. *Ed. Hudson.*
[d] *Epist. ult. edit.* 491.
[e] *Lib.* XII. c. 64.
[f] *Lib.* XIII. c. 30.

GROTII.

a *Leges hominum*] Φύσεως θεσμοὺς, naturæ leges. *Eus.* hist. VIII, 19. (*De Martyrib. Palæstin.* Cap. 9. pag. 425. *Edit. Cantabrig. Vales.* 1720.)

GRONOVII.

1 *Humum porrigere*] Erat hæc superstitio veterum, non præterire cadaver in via stratum, nisi gleba terræ injecta vel lapide. *Horat.* 1. Od. 28. *Petronius* cap. 74. *tralaticia humanitate lapidare.*

(aa) Jus istud *Sepulturæ* à Lege Naturali quoque oritur. Vide quæ diximus ad PUFENDORF. *De Jure Nat. & Gent.* Lib. II. Cap. 3. §. 23. *Not.* 9. ultimæ Editionis. *J. B.*